

109  
RECTOR  
ACADEMIÆ LIPSIENSIS

*Ad*  
Exeqviarum solennia,

*que*  
Marito desideratissimo  
VIR O

CLARISSIMO atq; CONSULTISSIMO  
DN. CHRISTIANO SEYFERTO,  
J. U. Candidato dignissimo, & Ad-  
vocato non ince-

lebri

*Vidua mœstissima paravit,*

Horâ III. cumulatè condecoranda

PROCERES CIVESQVE ACADEMICOS  
officiosè ac peramanter  
invitat.

Biogr. erud.

D. 1671, 66

Voll. Erud. sing. - Vol. Sei - Sei

PROCESSES OF THE ACADEMIC  
SOCIETY OF THE UNIVERSITY OF  
DRESDEN  
IN THE YEAR 1800  
BY  
J. G. B. SCHNEIDER  
DRESDEN  
1800

11



**Q**uanquam Causidicorum atque Pragmaticorum ubique larga est seges, multi tamen, & pœnè dixerimus, plurimi si non bonarum literarum ignorantia, certè malitiâ & impudentiâ laborant, & injustitiâ potiùs, quàm justitiâ patronos publicitùs se produnt. Dantur enim hodieq; inter Causarum patronos, qui ultra conceptissimas formulas vix quicquam sapiunt, *Jure-Consulti* potius, ut cum Francisco Philelpho ludamus, quàm *Ju-Satyr. II. re-consulti, & Juris per diti, non juris-periti;* literaturæ quippe *dec. II.* omnis ignarissimi, Causidicoque adeò illi non absimiles, cujus inscitiam Bilbilitanus Epigrammatista sic notat ad *lib. 5.* Rufum: *Epig. 52.*

*Hic qui libellis prae gravem gerit levam,  
Notariorum quem premit Chorus levis,  
Qui codicillis hinc & inde prolatis  
Epistolisq; commodat gravem vultum,  
Similis Catoni, Tullioque, Brutoq;  
Exprimere, Rufe, fidicula licet cogant,  
Ave latinum, xaisq; non potest Grecum.  
Si fingere istud me putas, salutemus.*

Nimirum & horum temporum Jure-consulti (cum Bembo jam loquimur) bonas, h. e. latinas literas ne attingunt quidem. *In epist. Clar. 26.* Intelligit autem Cardinalis Jure-consultorum nomine, quod pretiosum & venerabile apud nos est, Causidicorum genus jam dictum, Ciceronem videlicet, cui ad superstitionem usque addictus erat, imitatus, qui Valerium *l. 1. Epist. gra-ult.* JCrum cum appellasset, mox addit: *Cur enim tibi hoc non*

) ( 2

gra-ult.

*gratificer, nescio, praesertim cum his temporibus audacia pro sa-*  
*Orat. pro* *pietia liceat uti; qui & alibi, Jurisprudenciam ut elevaret:*  
*Murana.* *Si mihi, inquit, homini vebementer occupato stomachum mo-*  
*veritis, triduo me Jurisconsultum esse profitebor. Ignorantiae*  
*Causidicorum malitia accedit ut plurimum; quae tanta in-*  
*plerisque esse solet, ut rectissima incurvare, & curvissima*  
*deflectere in rectitudinem, spe dolosi nummi, non verean-*  
*tur. Nihil enim tam absurdum* (verba sunt Senecceri, The-  
*Postill.* *ologi quondam Lipsiensis sincerissimi) nihil tam impium, &*  
*part. 1. p.* *inhonestum, quod non inveniat suos patronos, rabulas juridi-*  
*673.* *cos, modo eis manus ungantur excrementis terrae nobilissimis.*  
*Egregii verè homines, dignique omnino, qui eandem,*  
*quam patroni causerum in caede Variana, fortunam expe-*  
*l. 4. c. 12.* *riantur. Germani enim, referente Floro, aliis oculos, aliis*  
*manus amputabant: unius os sutum, recisâ prius linguâ,*  
*quam in manu tenens barbarus: Tandem, inquit, vipera si-*  
*bilare desiste. Sed nolumus ulcus ab aliis jam tactum refri-*  
*care; quin ingemiscimus potius & exclamamus cum A.*  
*lib. 7. Po-* *Contio non ignobili inter Politicos scriptore: Utinam,*  
*lit. c. 24. f. pragmatici, rabulae, vultures forenses, voragines, urbium pe-*  
*502.* *stes, murices subselliorum, latratores, fraudum architecti, qui*  
*omnia obsident, lites neclunt, justitiam premunt, tandem*  
*aliquando coërceantur, & veris advocatis honor magnus ha-*  
*beat! Neque enim non veri Advocati inter spurios atq;*  
*adulterinos, h. e. indoctos injustosque rabulas hodieque re-*  
*periuntur; è quibus suo merito nominandus nunc venit*  
*Vir Clarissimus atque Consultissimus DN. CHRISTIANUS*  
*SEYFERTUS, Juris utriusque Candidatus dignissimus, &*  
*Causarum patronus non incelebris. Afferebat enim in-*  
*forum non accuratam tantum legum civilium scientiam,*  
*Philologiae ac Philosophiae notitiâ pramunitam, sed pieta-*  
*tem etiam, probitatem, candorem, studiumque justitiae Ad-*  
VOCAC

vocato vero dignum; nullamque adeò causam temerè, nisi legitimam & juri consentaneam, patrocinio suo tuebatur. Nam ut inspectorem judicemque actionum omnium Deum esse, non ignorabat, ita nihil quicquam suscipiebat agebatque in foro, quod violare sanctitatem ejus, salutique obesse suæ posse intelligebat. Quemadmodum autem, secundum Mantuanum,

*Si quæ placent, abeunt; inimica tenaciùs hærent:*

Sic & Optimus hic Advocatus in ipso virilis ætatis flore deflorescit, Rabulis Zizaniorum & Iapparum inutilium instar ubique succrescentibus. Acquiescendum tamen in placito divini Numinis, ex pessima mundi fæce sibi optimos quosque vindicantis; cumque verus Advocatus honore omni sit longè dignissimus, supremus SEYFERTO nostro, quem sepulcralem vocant, eà, quæ par, celebritate est hodiè præstandus. Intereà nihil illorum defuisse illi ut ostendamus, quæ formare verum Advocatum ac perficere solent, universum vitæ spatium brevissimis deductum lineis jam exhibemus. Natus est An. Ær. Chr. M. DC. XLIV. d. IX. Martii, nobilissimam hanc urbem sortitus patriam, Parentesque ELIAM SEYFERTUM, Civem honestissimum, pistoremque primicerium, & matrem CLARAM ex FABIANO STEPHANI, Pistore itidem primario progenitam; cumque per ætatem capax literarum factus esset animus, Nicolaitanæ Scholæ præceptoribus fuit traditus; commissus dein privatæ M. CHRISTIANI HAUPTII, qui Khülevveinianis Sobolis hodegetam tum agebat, manuuctioni, & anno denique LX. in prælustre, quod Gothæ etiamnum floret, Gymnasium à parentibus ablegatus. Atque hinc telam studiorum humaniorum in patria coeptam continuavit, Triumviros nactus & variâ eruditione & docendi dexteritate celebratissimos M. ANDREAM REYHERUM,

X 3

GEOR-

GEORGIUM HESSUM, & M. JOHANNEM BUFFLEBI-  
 UM, cujus & convictu non minùs, quàm instructione, per  
 binos cum dimidio annos fuit fruitus. Præmissis felici-  
 ter tyrociniis in Academiam Jenensem profectus alumnus  
 ac civem ei dedit, & Logicæ, Ethicæ, Politicæ, aliisque disci-  
 plinis Philosophicis, quarum antea jam gustu Gothæ non  
 leviter erat imbutus, sub Adjunctis Facult. Philos. tum tem-  
 poris Clarissimis, M. CHRISTOPHORO HUNDSHAGE-  
 NIO & M. GEORGIO WONNA, incubuit. Verùm cum  
 domi haberi nõsset, quod foris quæsierat hæctenus, Anno  
 LXIV. ad Lipsiam suam remigrabat, alboque Academico  
 ritè infertatus Panfophico Collegio, quod M. CASPAR  
 LÖSCHERUS, nunc famigerabilis Theologiæ Doctor, &  
 Orthodoxus apud Erfurtenses Ecclesiastes, aperuerat, juris  
 Civilis tractationem (nam hoc studiorum genere præci-  
 puè ducebatur) adjungebat, ducibus usus præter Virum  
 Clarissimum atque Consultissimum JOACHIMUM AN-  
 DREAM CORVINUM, J. U. C. & Academiae nostræ Syn-  
 dicum, Professoribus juris incomparabilibus, QVIRINO  
 SCHACHERO & BARTHOLOMÆO LEONHARDO  
 SCHWENDENDÖRFFERO, cujus sub præsidio & A. LXIX.  
 de Accusatione Contumaciæ non sine applausu disputavit.  
 Approbata publicè scientiæ legalis fundamentis à nobi-  
 lissimo Jctorum Senatu non difficulter eo se impetravit  
 anno, ut post lectionem ritè ac solenniter habitam inter  
 Candidatos, quos vocant, referretur. Ex quibus omnibus  
 vel tacentibus nobis liquet, SEYFERTUM non cruda in-  
 forum propulisse studia, longèque adeò alienissimum fuisse  
 à rabulis, quos *formularum cantores* vocat Cicero, Synesius  
*ἀνθρώποις ἀναίδῃ, καὶ παιπένησι καὶ ἔδεν ὑγιᾶς, ἀλλὰ λήθο-  
 ρα καὶ κακοῦρα φεῖν εἰδότα*, h. e. *homulos impudentes, in omnibus  
 præposteros atq; perversos, convitiatores malorumq; archite-  
 ctos.*

*Etos.* Foro autem priusquam se committeret Noster, à Nobilissimo atque Amplissimo D. THEODORO SECURIO, Comite Palatino Cæsareo, Notarii Cæsarei privilegiis atque insignibus mañtari se faciebat. Ad ipsum postea Causarum civilium patrocinium se toto convertebat animo, indiesque tum solertiæ non proletariæ, tum integritatis ac fidei singularis laude inclarescebat, quin, multa paucis ut complectamur, verum & frugi Advocatum iudiciis omnibus se approbabat. Cæterum ut sibi quoque domum in his terris stabiliret, maritali sibi fœdere, sic moderante Numine, A. LXX. conjunxit Virginem elegantiam, virtuteque omnigenam tum florentissimam MARIAM REGINAM, Viri perquam Reverendi Clarissimiqve M. SIMONIS WACHII, Pastoris ad D. Johan. vigilantissimi, *νῦν μακαρίτη*, filiam, nunc Viduam longè consternatissimam. Cum qua uti suaviter & prorsus ex animi sententia vixit hæctenus, ita liberos ex ea suscepit duos, filium CHRISTIANUM GOTHOFREDUM & filiam JOHANNAM REGINAM, plures haut dubiè suscepturus, nisi mors heu nimis immatura Virum optimum atque Consultissimum nobis eripuisset. Fuerunt autem anteambulones illius tussis & asthma; quæ uti hydropici quid minari non obscure videbantur, ita hostem internum ante decem præter propter septimanas prodiderunt apertiùs, cumque somni beneficio vires etiam ipsas abstulerunt. Medicinæ eqvidem opitulatu & somnus & appetitus postliminiò quasi fuit reductus; sed paucis diebus interjectis recrudit malum pristinum, cumque magis magisque ingravesceret indies, spem omnem reconvalescentiæ, imò vitæ ulterioris veluti suffocavit.

Is ergò cum ad id extremitatis perductum se animadverteret, forum soli avertatus ad forum poli, ut cum  
Scho-

*V Henoch.  
ejus cum  
Deo am-  
bulans p.  
168.*

Scholis loquamur, se præparabat. Ibi verò justitiam Civilem nihil quicquam valere, imò panno menstruato similem haberi noverat. Justitiæ itaque CHRISTI se totum involvebat, seque sic consistere in rigidissimo DEI judicio posse non vanè confidebat. Hæc quippe fretus cum Johanne Sinapio, Exule inter Hungaros devoto ac docto, exclamabat:

*Sic ab omni crimine  
Purus & solutus  
Stabo coram Numine  
Te supremo tutus,  
Nec timebo tetricum  
Judicis rigorem,  
Quando mittes hosticum  
In malos furorem.*

*Credo, credo firmiter  
Hoc solutus nodo,  
Me DEUS benigniter  
Spectat, haut me rodo  
Amplius, jam desinit  
Me dolor vexare,  
Mensq; mea præcinit,  
Gestiens ovare.*

Et verò jam ovat in cœlis candidissima anima, postquam d. VII. Maj. Corpore ac Sangvine Salvatoris sui viaticata ex ergastulo corporis afflictissimi emigravit. Relictæ itaque sunt exuviæ, cui sua adhuc justa à nobis sunt persolvenda. Quare Cives ordinum omnium honoratissimos adhortamur rogamusque quàm humanissimè, ut frequentes post hor. III. ad peragendum officium isthoc convenire, exequiasque Advocato optimo cumulatè exequi ne dedignentur. Ita enim & suus Advocatis veris tribuitur honos, & acerbissimo Viduæ dolori non parum frigida affunditur. P.P. Lipsiæ d. X. Maj. Anno ær. Christi M. DC. LXXIIX.

---

*Literis HAHNIANIS.*